



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§, 72. Synodus Limæ in Peruano Regno habita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

„Deoque præcipue dilectæ virtuti, quæ  
 „est humilitas, labem infundere, po-  
 „puloque scandalum generare, ac pro-  
 „pterea illas omni ratione submoven-  
 „das, publicæque Religionis tranquil-  
 „litati, ac ministrorum Ecclesiasticorum  
 „reconciliationi, & mutuæ dilectioni  
 „quamprimum consulendum esse rati,  
 „ac supremam huic negotio manum  
 „apponere volentes, necnon causas,  
 „lites, seu controversias hujusmodi  
 „ubilibet, & coram quibusvis Judici-  
 „bus motas, & in quibusvis instantiis  
 „indecisas pendentes ab eisdem judi-  
 „bus harum seriem ad nos advocan-  
 „tes, illasque penitus extinguentes, eis-  
 „dem Fratribus Mendicantibus, ac  
 „Confratribus super præmissis perpe-  
 „tuum silentium imponimus.

§. LXXII.

*Synodus Limæ in Peruvano Regno  
 habita.*

Eodem anno Limæ, quæ in America  
 Urbs, ac Peruvani Regni Metropo-  
 lis Archiepiscopali sede illustris est, Sy-  
 nodus habebatur ab Alphonso Mogro-  
 vejo Taurinensi Archiepiscopo, eaque  
 ad revocandam Ecclesiæ disciplinam,  
 morumque emendationem erat convo-  
 cata, ex cujus actis elucet, quod ibi-  
 dem quidam Theologiæ Professor in  
 hac

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1583.

Joseph  
 Acosta lib. 2.  
 de noviss.  
 cap. 2. &c.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1583

hac regione maximi habitus, ac veluti oraculum adoratus damnatus fuerit, eo quod a quadam muliere, quæ a dæmone obsessa credebatur, seductus errores, ac specialia prorsus deliria divulgasset, affirmans. I. quod Deus ei familiarem Spiritum adjunxerit, a quo omnia, quæcunque vellet, edoceret, imo non raro cum ipso Domino Deo satis familiariter conferret. II. Delirabat, quod propterea brevi Rex, ac Papa nominandus, sacram vero Sedem Peruam translaturus esset. III. dictitabat, quod unionem Hypostaticam sibi a Deo oblatam recusasset. IV. se efficaciter pro Mundi redemptione destinatum, Christum vero duntaxat sufficienter electum venditabat. V. Somniabat, quod Status quoque Ecclesiæ penitus mutandus, & per alias, facilesque leges abrogandus foret, quarum ope Clericorum Cælibatus, Confessionisque necessitas abolerentur, Polygamia autem invehetur. Ceterum hic fanaticus tam pertinaciter suis erroribus insistebat, ut ab Inquisitione damnatus tandem vivus comburi promeruerit: porro adversus eundem hunc hæreticum Pater Acolta Jesuita editis libris pugnasse, atque hujus Limanensis Concilii acta descripsisse dicitur.

§. LXXIII.